

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6462

Autre(s) référence(s) : Bates 49 / ARTEM 2337

Auteur(s) : Roger II de Montgommery [particulier]

Bénéficiaire(s) : Caen, Saint-Étienne (abbaye)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : non suspect

Datation : [1081-1082]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Pancarte relatant seize donations faites à l'abbaye Saint-Étienne de Caen, souscrite par Guillaume [Ier], roi d'Angleterre.

Tableau de la tradition

Original

A. Caen, Archives départementales du Calvados, H 1831.

Éditions principales

a. Dodsworth Roger, Dugdale William, *Monasticon Anglicanum, sive Pandectae coenobiorum Benedictinorum, Cluniacensium, Cistercensium Carthusianorum..., de canonicis regularibus Augustinianis...*, Londres, Longman, Hurst, Rees, Orme & Brown, 1817-1830, 8 vol., t. 7, p. 1071 (extrait).

b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta, col. 72-74 (extrait).

c. Deville Étienne, *Notices sur quelques manuscrits normands conservés à la Bibliothèque Sainte-Genève IV*. Analyse d'un ancien cartulaire de Saint-Étienne de Caen, *Revue catholique de Normandie* n°14, 1904-1905,

d. Musset Lucien, *Les actes de Guillaume le Conquérant et de la reine Mathilde pour les abbayes caennaises*, Caen, Caron (MSAN ; 37), 1967, n° 7.

e. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, the Acta of William I (1066-1087)*, Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 49, p. 228-236.

Indications

Léchaudé d'Anisy Amédée-Louis, *Extrait des chartes et autres actes normands ou anglo-normands qui se trouvent dans les archives du Calvados*, Caen, Mancel (MSAN ; 7-8), 1834-1838, 2 vol., t. 1, p. 269, n° 3. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, *Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100*, Oxford, Clarendon Press, 1913, p. n° 168.

Dissertation critique

1081-1082, mais probablement 1080-1087.

Datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 230-231).

Texte établi d'après e

EGO ROGERIUS de Monte Gomerico, fidelis domini mei Willelmi Anglorum regis, Normannorum et Cenomannorum principis, ob amorem Dei et eiusdem domini mei et pro salute animæ meæ, trado coenobio quod ab eo in burgo Cadomo in honorem beati STEPHANI constructum est, burgum de [Trum] cum silva de Alge et [cum terris et lun]dis et omnibus ad ipsum burgum pertinentibus, exceptis molendinis et decimis quæ iam aliis aeclesiis concessi, ea conditione serva[ta u]t quamdiu ego vixero vel idem dominus meus aut uxor mea, liceat michi si voluero ipsum burgum in meo habere dominio. Post mortem vero meam vel domini mei aut uxoris meæ, deveniat in ius et possessionem prefati coenobii, ut liberum [sit ab]batibus et monachis inibi [Deo] servientibus canonice ipsum disponere, dare, [te]nere et quicquid regulariter et secundum Deum utile de eo prospexerint adimplere. Et ut certum hoc de reliquo fiat, et in posterum dubitatio nulla remaneat, concedo in presentiarum domum Aiulfi Guirelli cum omnibus consuetudinibus [de] ea domo ad me pertinentibus, tam de indigenis quam de extraneis mercatoribus, in ea aliquid ementibus vel vendentibus, seu aliquid unde commodum provenire soleat contrah[ent]ibus. Hoc donum idem dominus meus sua auctoritate firmavit et in memoriam ipsius donationis viam quæ extra burgum ducebat per burgum ire concessit. Testes : Henricus filius Roger[i] de Bello Monte, Haimo, Gislebertus Haretel et alii plures. Hoc donum idem Rogerus in dedicatione aeclesiæ beati Stephani postea super altare tradidit, [conc]edente Willelmo Anglorum rege, Normannorum et Cenomannorum principe, et filio suo Roberto et Willelmo et Roberto de Belesmo. Testes : LANFRANCUS Canturiensis archiepiscopus, Odo Baiocensis episcopus, Rogerus de Bello Monte, et alii plures qui ei dedicationi interfuere. Hoc donum etiam postea firmavit Robertus de Belesmo et cum eo duo de suis hominibus, Willelmus Paganellus et Gulferus de Vilereit. Testes qui huic firmationi interfuere : Robertus comes de Moretonio, Bernardus de Novo mercato, Hubertus de Portu, Rodulfus Suhardus et alii plures. Ego ROBERTUS comes de Moretonio pro amore Dei et domini mei Willelmi Anglorum regis, Normannorum et Cenomannorum principis [et pro] salute animæ meæ trado coenobio beati STEPHANI quod ab eo constructum est in burgo Cadomo, villam iuris mei quam Hultivillam vocant, cum colonis et conditionariis ac liberis hominibus seu omnibus redditibus et consuetudinibus ad eam pertinentibus, ea conditione servata ut quam diu ego vixero vel idem dominus meus aut uxor mea, liceat michi si voluero ipsam villam in meo habere dominio, post mortem vero meam vel domini mei aut uxoris meæ deveniat [in ius] et possessionem prefati coenobii, ut liberum sit abbatibus et monachis inibi Deo servientibus quicquid de ea velint secundum Deum facere. Et ut certum hoc de reliquo fiat, et in posterum dubitatio nulla remaneat, do in presentiarum de eadem villa presbiterum cum tota terra sua, ecclesiam quoque cum decima, et unum hospitem ut sit deinceps in abbatis potestate quicquid sibi placuerit secundum Deum de eis statuere. Hoc donum idem dominus meus concessit suaque auctoritate firmavit. Testes : LANFRANCUS Cant[urien]sis archiepiscopus, Odo Baiocensis episcopus, Robertus regis filius et Willelmus et alii plures qui dedicationi interfuere. Ego RICARDUS filius Turstini vicecomes Abrincensis trado coenobio sancti STEPHANI de Cadomo pro an[ima mea] et domini mei Willelmi regis Anglorum principis Normannorum et Coenomannorum terram iuris mei quam habeo in Ruschivilla de foedio Turstini filii Ricardi, concedente simul et mecum donante ipso Turstino filio Ricardi, in presentia [prefati regis] Willelmi. Testes : Willelmus filius Osberni, Rogerius de Bello Monte, Gauffridus de Magnivilla et alii plures.

Ego RANNULFUS vicecomes Baiocensis trado coenobio beati STEPHANI de Cadomo pro salute animæ meæ dominique mei Willelmi regis Anglorum, principis Normannorum et Coenomannorum et omnium parentum meorum ecclesiam de Boiavilla cum alodio et omni decima ad eam pertinente et totam terram quam in Brittivilla Orgulosa habeo, cum parte ecclesie ad eam pertinente, cum colonis et liberis hominibus et omnibus ad eam pertinentibus, ea conditione servata ut quamdiu ego vixero, si michi placuerit, in meo dominio eam retineam. Quod si ego monachus fiam, vel quenlibet de filiis meis monachum fecero, statim in ecclesiæ dominium deveniant. Si autem horum neutrum fecero, post mortem meam cum omni portione substantiæ meæ in dominium ecclesiæ transeant. Hoc donum concessit et firmavit Willelmus rex Anglorum, princeps Normannorum et Cenomannorum, prefato Rannulfo concedente et deprecante. Testes : LANFRANCUS Canturiensis archiepiscopus, Odo Baiocensis episcopus, Rogerus de Monte Gomerico, Willelmus de Semillei et alii plures.

Ego ROBERTUS Bertrannus, trado coenobio beati STEPHANI de Cadomo, imminente morte, concedentibus uxore mea et liberis, quicquid terre in Brittivilla Orgulosa habeo, cum parte mea æcclesiæ cum colonis et liberis hominibus et omnibus ad eam pertinentibus. Hoc donum Willelmus rex Anglorum princeps Normannorum et

Cenomannorum sua auctoritate firmavit. Testes : Durandus de Diva, Willelmus filius Tedbaldi, Gotscelinus et alii plures.

Ego EUDO, non immemor beneficii a beato STEPHANO in egritudine mea michi collati, trado coenobio quod in honorem eius a domino meo Willelmo Anglorum rege, Normannorum et Coenomannorum principe, in burgo Cadomo constructum est, totam partem quæ ad me pertinet de villa cui Balta nomen est, cum terris cultis et incultis, pratis, pascuis, decimis, molendinis, aquis et omnibus [mei ju]ris ad ipsam villam pertinentibus, terram quoque de Hotot, [cuius unam] medietatem ego habeo in meo dominio, alteram tenet Willelmus de foedio meo. De silva vero quæ in meo remanet dominio, hanc monachis et monachorum hominibus in [prefatis] terris degentibus consuetudinem concedo, [pasturam] videlicet et pastionem porcis et reliquis animantibus eorum, ligna ad [foc]os, domos faciendas sive refaciendas, clausuras et ad omnem eorum necessarium usum. Tamen si ligna viridia excidere oportuerit, monachi seu homines eorum petant licentiam a forestariis quatinus ipsi eant et ubi competenter [inci]di possent ostendant. Qui si forte [ire] renuerint seu dolo vel aliqua calliditate monstrare despexerint aut q[uod mali] ministri facere solent locum non aptum ad incidendum monstraverint, tunc liceat monachis et eorum hominibus neglectis eis in silvam ire et ubi voluerint ad prefatos usus ligna incidere. Testes : Turgisius, Rogerius de Broei, Godefridus, Gunfridus, Gotscelinus et alii plures.

Ego ROBERTUS de Molbrai, comes de Northumberlant, trado coenobio Sancti STEPHANI, quod in Cadomo situm est, id quod habeo in territorio de Vileriis que sunt in Alge iuxta Boseval in elemosina quiete in perpetuum tenendum sine alio servitio, preter id quod monachi eiusdem coenobii de me semper idipsum in elemosina cognoscant et pro salute animæ meæ et omnium parentum meorum Deo semper inde servitium faciant, concedente domino meo Willelmo Anglorum rege Normannorum quoque et Coenomannorum principe. Testes : Rodulfus siniscalcus et Ricardus filius Tedaldi, Serlo de Britivilla, Rodulfus de Bracio et alii plures.

Ego INGILRANNUS cum Agnete uxore mea trado pro salute mea et pro anima patris ac matris meæ Cadomensis coenobio sancti STEPHANI æcclesiam de villa quam vocant Alnetum ab omni episcopali consuetudine liberam, sicut ego et antecessores mei hactenus habuimus, excepto quod de ipsis parochianis nullam forisfacturam monachi accipient. Trado etiam totam decimam [m]e[arum] precationum [et] corvetarum atque mearum carrucarum si ibi fuerint, duas quoque partes decimæ de tota villa et unam acram terræ ubi possit gracia fieri, ea conditione ut mittant monachi in eadem æcclesia convenientem clericum. Si vero non miserint, commonebo eos convenienter sicut fratres meos, et si id facere noluerint, totum in manu mea retinebo, donec clericum ibi mittant qui ecclesiæ competenter serviat. Dabit autem chrisma æcclesia Alneti æcclesiæ de Balchei sicut dare consuevit. Concedo etiam post obitum meum aut uxoris meæ tertiam partem eiusdem decimæ. Testes : de parte sancti STEPHANI, Anschitillus de Alamannia, Anschitillus filius Belesent, Rannulfus filius Ulgeri, Robertus de Ros. De parte Ingilranni : Rodulfus filius Anseredi, Willelmus Crassus, Robertus de Ebreceio et alii plures.

Ego RODVLFUS filius Anseredi do sancto STEPHANO LX et XIII acras alodii mei in territorio de Boseval et quartam partem in duobus molendinis et octavam in tercio post mortem meam si me sine liberis legitimis mori contigerit, ea conditione servata, ut quicquid de ipsa terra in morte mea in dominio habeo, æcclesia quoque in suo dominio habeat et quod iam datum est vel a me dabitur quibuslibet hominibus ipsi habeant et de æcclesia teneant. Testes : Willelmus, Rodulfus, Godefridus, Gotscelinus et alii. Ego RODULFUS filius Herfredi do coenobio beati STEPHANI de Cadomo medietatem terræ quam iuxta Badventum habeo, sicut dividit domus Normanni de Breitvilla et crux quæ est in bivio, consuetudinem quoque pasturæ sicut ego habeo. Testes : Durandus de Diva, Hugo frater eius, Ricardus filius Herluini.

Ego RAINARDUS regis Willelmi camerarius do coenobio sancti STEPHANI de Cadomo super altare, una cum filio meo Corbello, molendinum de Waimara quod de rege teneo, ea conditione ut quocumque die voluerofieri monachus pro eo in iamdicto coenobio suscipiar. Testes : Godefridus pratarius, Gotscelinus, Warinus.

Ego BERNARDUS filius Ospaci trado coenobio sancti STEPHANI de Cadomo domum Rothomagi quam habeo iuxta murum civitatis, et cum ea penes ipsam situm viridiarium, omnia quoque prata que habeo ad Batpalmas et unum equitem cum terra sua qui eadem prata custodit, ea conditione ut quamdiu in seculari habitu vixero ea in dominio meo retineam, hospitium abbati atque priori prestem, eorum equis singulis annis tria plaustra foeni de predictis pratis tribuam. Quod si monachus fieri voluero, vel in seculari habitu obiero, in dominium sancti STEPHANI deveniant et nepos meus Gualterus quamdiu vixerit in eadem domo hospes remaneat. Testes : Rannulfus filius Oteri, Durandus de Diva.

Ego Willelmus filius Sueni trado æcclesiæ sancti STEPHANI Cadomi sitæ, pro anima patris et matris meæ et mea necnon pro animabus omnium parentum meorum, domum meam quam iure hereditatis habeo in civitate Rotomagi, cum viridiario atque tota ipsius perprehensione, concedente sorore mea Albereda et eius filio Ricardo, ea quidem conditione ut quamdiu ego vixero vel predicta soror mea in domino sit et potestate nostra. Si vero ibidem hospitari voluerint predictæ æcclesiæ monachi aut eorum homines, ut in domo sua recipientur. Post obitum autem meum et sororis meæ, licebit monachis absque omni contradictione ad eorum arbitrium quicquid eis de ea visum fuerit facere. Concedo etiam iam dicto coenobio totam portionem substantiæ meæ post obitum meum. Testes : Willelmus

archi episcopus, Willelmus abbas Fiscannensis, Fulco abbas Divensis, Goslenus archidiaconus, Willelmus cocus, Godefridus pratarus, I[v]olinus minor.

Ego SERLO de Lingeuvrio, homo peccator et misericordia Dei indigens, consilio et auxilio sanctorum virorum, providi tradere et tradidi de iure meo coenobio sancti STEPHANI de Cadomo ecclesiam de Buxedello cum tribus acris terre et dimidia et tota recta decima de dominio meo et villanis meis cum tertia quoque parte decimæ de militibus meis iamdictæ villæ et de aliis parochianis qui ad eandem ecclesiam conveniunt pro salute mea [et ux]oris meæ filiorum quoque et omnium parentum meorum, concedente hoc uxore mea et filiis meis, concedente quoque domino meo Willelmo Anglorum rege, Normannorum et Cenomannorum principe et Willelmo camerario et Roberto de Molbrai, de quorum foedio predictæ villæ terram et ecclesiam teneo. Concessi etiam ut cum prædicti milites mei dare voluerint [sanct]o S[TEPHANO] t[o] [tam] rect[am] decimam [ut ha]be[at] sicut et meam. Et ut hæc donatio mea firma et stabilis in perpetuum permaneat recep[i] a Gil]eberto tunc temporis ab[bate] iamdicti monasterii ex caritate XLV libras denariorum et duas marcas argenti et Rannulfus filius meus habuit unum bonum palefridum. De hoc vero dedi eidem abbati fideiussores : Rannulfum videlicet filium meum, Arnaldum de [Ti]lleio, Robertum de Maisnilio, ut si aliquando quis calumniam inferret sancto STEPHANO de h[ac me]a donatione, ego vel hæres meus, omnino bene adquietaret. Testes ex parte mea qui et fideiussores et Willelmus Pictavensis et Willelmus de Hotot. Ex parte sancti STEPHANI, Willelmus de Taisel, Anschitillus de Maletot et Rogerius filius eius, Willelmus filius Tedbaldi et alii. EGO WILLELMUS GOIZ trado coenobio sancti STEPHANI de Cadomo terram quam tenebat de me Robertus medicus in Starvilla et Columbeio, concedentibus fratribus meis et sororibus et domino meo Hugo[ne Ce]strensi comite. Testes : Rannulfus Tesardus, Rogerus filius Murdaci, Robertus ipse medicus. EGO HUGO de Rosel trado coenobio sancti STEPHANI de Cadomo terram quam in Grainvilla teneo de beneficio regis, eod[em re]g[e] conce]dente cum uxore mea et filio meo Hugone, ea conditione ut in presenti me recipiant abbas et monachi [ad ordinem]. Testes : Hugo filius meus, Rodulfus de Grainvilla, Robertus de Ros et alii plures.

Has donationes [quas baro]nes et fideles mei pro amore meo et salute sua abbatia[m] meam fecerunt cum gratiarum actione suscipio, concedo et cum eis hæc eadem confirmantibus mea manu et auctoritate corrobore et confirmo. Quas qui auxerint augeat illis Deus bona presentia et futura. Qui autem detraxerint vel imminuerint, metuant a Deo pro factis digna recipienda. Signum Willelmi re+gis Anglorum principis Normannorum [et Ceno]mannorum. S(ignum) Mathildis + reginae. S(ignum) Robert+i filii regis. S(ignum) Wil+llemi filii regis. S(ignum) Henri+ci filii regis. S(ignum) Lanfran+ci [Cantu]riensis archiepiscopi. S(ignum) Willelmi + Rotomagensis archiepiscopi. S(ignum) Willelmi + Rotomagensis archiepiscopi. S(ignum) Odo+nis Baiocensis episcopi. S(ignum) Gisleberti + Luxoviensis episcopi. S(ignum) Gauffr+idi Constantiensis episcopi. S(ignum) Micha+elis Abrincensis episcopi. S(ignum) [Gisle+]berti Ebroicensis episcopi. S(ignum) Ro+berti Sagiensis episcopi. S(ignum) Roge+ri comitis de Monte Gomerico. S(ignum) Roberti + comitis de Moretonio. S(ignum) Wil+llemi comitis Ebroicensis. S(ignum) Roge+ri de Bello Monte. S(ignum) Roberti + comitis de Mellent. S(ignum) Roberti + de Belesme. S(ignum) Henrici + de Bellomonte. S(ignum) Hugonis de + Monteforti. S(ignum) Roberti+Bertranni. S(ignum) Willelmi + Bertranni. S(ignum) Ricardi + filii [T]urstini. S(ignum) Rannu+lfi vicecomitis. S(ignum) Hugo+nis comitis. S(ignum) Eudonis + vicecomitis. S(ignum) Roberti + comitis de Molbrai. S(ignum) Ingilran+ni filii Ilberti. S(ignum) Rodul+fi filii Anseredi. S(ignum) Willelmi + Goiz. S(ignum) Raina+rdi. S(ignum) Hugonis + filii Hugonis de Rosel. S(ignum) Serloni+s de Lingeuvrio. S(ignum) Corbell+i camerarii filii Rainardi. S(ignum) Willelmi ca+nonici filii Sueni. S(ignum) Bernar+di filii Ospaci. S(ignum) Rodulfi + filii Herfredi.